Epistola 198. IOHANNI COCCEJO HENRICUS à DIEST.

Clarissime ac Eximie Vir, Frater in Christo colende, S. P.

Jam pridem scribere ad te fuit animus, sed defuit commoda occasio. Misi antehac disputationem inauguralem filij et alia; ~~qui nunc~~ misi etiam inaugurationem Academiæ Clivo-Duisburgensis, in qua filius nunc sustinet professionem ordinariam Theologiæ et Philosophiæ practicæ; oblata et fuit linguarum orientalium professio, sed quam extraordinario professori eripere noluit. Non dubitabo hæc omnia, per Studiosos ad vos commeantes, tibi reddita esse. Lues epidemia Scholam nostram dissipavit, quæ ægrè recolligitur. Dum illa grassatur, aberam ego in ferijs canicularibus, visitans filiam ac fratrem, Neomagi ac Cliviæ. Interim refutatio Apologiæ Polonicæ eruditè et accuratè à te scripta, ad ædes meas defertur, quam redux cum voluptate legi, et non potui non diligentiam tuam, et felicitatem scripti, admirari, quicquid sentiant alij, de quibus tu scribis. Ego nuper Passionales conciones dedi, sed nescio an tanto applausu, quum junioribus istas scripserim, talisque subsidio opus habentibus. Cætera mea studia majorem messem requirerent, sed ætas et valetudo cum tempore atteritur. Ferunt quendam ex Pastoribus nostris ad gradum aspirare, in spem successionis, si quid mihi humanitus accidat, eumque apud vos fortè hac æstate suscepturum. Miror, quum reliquorum judicio istis rebus impar sit, propriâ quidem laude magnus, at alienâ nullus; ore prolixus, non eloquens, ingenio vagus, reipsâ reliquis par aut minor. Non putabo, vos manus imposituros homini destituto ornamentis philologiæ et philosophiæ, sine quibus nullum verum Theologum esse puto te mecum judicaturum esse; præterquam, quum absit historiarum et antiquitatis cognitio. Vale, vir eximie, mihique multis nominibus colende et observande. Dabam Daventriæ, Aº 1657. 17/27. April.

Hoc te lateat.

R. Cl. Tuæ

Observantissimus

Henr. à Diest,
SSTh. D. et P.

~~Salutamus universam familiam omnes, unà cum filio, qui ferijs paschalibus nobis aderat. Ova mittere non fuimus ausi ampliùs, ob nimiam compensationem, eamque modum excedentem; quum putaremus id nostri esse officij, et debitum, neququam compensandum. Literas si Studiosis nostratibus commendes, rescripturus, non frustra ero.~~

Clarissimo ac Doctissimo
Dn. Johanni Coccejo, SS. Th.
Doctori et Professori, in incly-
ta Academia Lugduno-Batava
celeberrimo, Amico summo,

Leyden
op Kapinborgh

p. amic

colendus
Lugdunum Batavorum